
NAZIONALE


BIBLIOTECA NAZIONALE
6
7 A
46
VITTORIO EMANUELE

JAC. ÆMIL. SORINI

S. M. C.[cæ]

HISTORIOGRAPHI

PANEGYRICUS

Pro Latij, Sabinæ, Maritimæ, & Campaniæ Populis

CLEMENTI XI.

P. M.

Scriptus.





NEAPOLI, MDCCIII.
Ex Typographia Felicis Mosca.
Superiorum Licentia.

Sereniſſimæ, ac Potentiſſimæ

MARIÆ CASYMIRÆ

POLONIÆ REGINÆ





Jacob. Æmil. SORINI

F. P.



AGNO *hoc tuo Panegyrim nomini inaugurare ſanè debueram* REGINA: *cum in ipſò de Optimo Principe haud poſſem dicere, quin intilligerem èt de tè loqui. Summum Pontificem* CLEMENTEM XI. *laudavi: immò laudavi & te; quę pulchrioris ejuſ-*

 dem

dem gloriæ pars melior. Regium enim opus, tantiquè dignum Pontificis eximias almæ Heroinæ virtutes colere: parque eidem sors, habere Reginam, quæ ipsius pietatem adaugeat, cum imitetur. Adauges inquam, si maximus Clementis animus habet quid ultro crescère possit, adauges pietatem suam; quâ Vir ille suprà humanam conditionem in omnibus summus, in hoc fateri patitur, nescio an moderatione, vix posse tuæ respondère. Ea equidem tibi inest tam ampla, ut exuberantiâ cordis profluat in ore, in vultu; adeoùt dubitaverim, Orbis obsequia

maje-

majestate plus exigas, an religione. Ob hanc etenim ab ultimo Septemtrionis confinio, incauto itinere, climatum injuriâ, salute neglectâ, Italiam appulisti: Quapropter quisque obstuperet, inscius quid extrà Regnum quæritares; cum nemo cor tam amplum haberet, nec ut cogitare posset, quæ tu fecisti; cogitare scilicèt, quòd, qui tibi Sponsi Regis gloriosissimi in reverentiam superer at, thronum relinqueres, ut sedem quæreres Religionis. Sedem enim tuam quærebas, ut in illâ triumphum Magni Conjugis inviseres: immò tuum, prò quo pugnaveras. Pu-

gnasti èt tu pro religione: nam cum tu Regina, dum eàdem in Viennensi periculo prò ultimo staret momento, ditissimam tui gazam, aureamque suppellèctilem ad belli impensas, deficiente vectigalium ærario, pignerares; charius pignus, primævum Filium extremæ fortunæ ipsa traderes; Regem Johannem, *etsi tibi regij Infantis octoni mensis ab fætum alvus ingravesceret, extrà Regni limites ipsa deferres; ipsaque, ni lachrymis Regnum reclamasset, ultrà ad castra procederes; non est, non est Regina, qui haud fateatur te dici emeritasse sociam Victoriæ. Ita*

ut

ut Rex ille debuerit Hostem armis citiùs vincere, ne diù ipse ab uxoris fortitudine vinceretur. Prædicanda quapropter moderatio tua, quòd bellicas laudes, quibus te dederat inclyta Gallia Patria (ubi tantum, ob loci dignitatem, merentur homines cum nascuntur; postquàm nasci sub invictissimi Ludovici Magni *felicissimo Regno, vidimus partem esse non fortunæ, sed gloriæ) quibus inde olim Rex conjux innutriverat; & nunc Gener tuus,* Maximillianus Potentissimus Bavariæ Elector, Germaniæ Hæros, Dux Gloriosissimus *ægregiè colit; bellicas inquam laudes*

postbabes paci. Magis atamen admiranda, quòd post obitum sponsi Regis (qui heù tandem occubuit majore hominum damno, quàm suo!) tibi adaugeres, non imminueres authoritatem imperij: nam, non ampliùs in subditos, sed in te ipsam illud exercens; non Populos, sed populorum Reginam dominaris. Regnum ideò plùs meruisti; cum sine Regno Regina esse non desieris, & videri. Quocircà frustra tu enim studebas, Regionem Venetam peragrans, titulo Marchionissę de Jarosla-Wiâ te Reginam abscondere; si splendor decoræ faciei, gestus eminens, regij mores

te

te publicaverant. Et quamvis nimia moderatio tua te velle Privatam insisteret; regalia, quæ PATAVINI *Thaumaturgi Templo, vota suspenderas, cùm ultrà privatum saperent, te posse quidem privatam personam mentiri, àt non unquam animi regij, regiæque manus oblivisci palam ostendère. Testantur enim & in* LAURETANA *Domo liberalissimam tui munificentiam pijssima dona; quæ etsi auro gemmisque peronusta, adeò non poterant pretiosa esse, ut ab illis, quæ corde interiùs obtuleras, pretio non vincerentur. Et cor ipsum, quamvis puriorem sanguinis par-*

tem esfusi in lachrymis, ad Aram VIRGINIS *reliquisses; ni huic te ad pietatis cultum, ad Reginarum exemplum in Urbium reginâ diù placuisset superesse. Revera; quænam hìc Romæ non egisti? patent cuique: unde eadem referre, idem esset ac in lucidissimâ meridie spectatorum theatro solem asserere. Jam Sacræ Ædes, Apostolorum limina assiduò invisa (quâ frequentiâ crescere eo magis in te majestatem, non vilescere comprobasti) Erectæ Aræ; reparata Templa; aliti Pauperes; Virgines nuptæ; Deviæ, à scortis restitutæ; Cenobia Monalium constru-*

cta,

cta, jam ex se se fatentur, ita ut mihi non liceat meliori laude prædicare. Dicam tamen te erga beatissimum Clementem xi. *P.O.M. velut erga numen, tali te præstare obsequio, ac veneratione; ut eidem fas sit annuere tibi, ne modum excedas, & se deniquè esse hominem, ac te Reginam recorderis. Quapropter Panegyrim hoc meum (quod dum prò Latii, Sabinæ, Maritimæ, ac Campaniæ Regionibus* Oratoris *munere perfungebar, Pontifici scripsi) spero posse tibi oblectamentum afferre; mihique ex regali tua munificentiâ magnam obtinere mercedem, quæ erit* Reginæ Placuisse.

Mandato Illustriss. Domini Januarij de Auria Vicarij Generalis vidi Panegyrim Clementis XI. compositum à D. Abb. Jacobo Æmilio Sorini Regio Historiographo, & cognovi dignissimum esse, ut ob ingeniosissimam ejus sublimitatem, pręstantemque facundiam Typis mandetur. Neap. Domi Professæ Soc. Jesu 22. Septembris 1703.

J. DE LUCIJS *Soc. Jes.*
Revisor.

Index Virorum, & Principum, qui in Epiſtolâ ad Reginam, & in Panegyri ad Pontificem, laudantur.

PA-

PANEGYRICI

ARGUMENTUM.

EAM Italiæ partem, quæ per Latij, Sabinæ, Maritimæ, Campaniæque Regiones extenditur, & quæ Ecclesiæ imperio subjacet, banniti, sicarij, latrones, seditiosique viri ægrè infestabant. Undè Pontifex non tam questû, & lachrymis incolarum motus, quàm in ipsos amore, expedito Commissario Generali militum copijs, pessimum id genus hominum radicitus interemit. Ideoque Gens illa gratum sui ergà Principem animum ob tam expetitum beneficium, hisce verbis sensit per Oratorem explicare.

PANEGYRICUS.



RANDE, clementiss. Princeps, opus agimus; dum parem tuo in nos beneficio gratiam agere aggredimur. grandius verò, si peractâ gratiâ, et tu illam acceperis, & nos aliud acquisiverimus beneficium: securitatem amoris tui. At sanè qualem te Principem non nosceremus, si haud amari crediderimus. Te Principem scilicèt nobis charissimum aliorum, quià & nos tibi. Patrem immo: nam sæpè, ut populos nimiâ amares indulgentiâ, Princeps esse desijsti. Atamen eodem tempore dignissimus

mus omnium, cum ergà subditos melior. Et si cæteri æquales tibi ; aut quia tu ità sentis; aut ab hoc tàntùm, quia illi à te vinci patiuntur.

Prestiterūt enim multis ab hinc annis Pontifices alij religione, alij prudentiâ, alij justitiá, clementiâ alij, sanctitate omnes: Sed tu cunctas eorum virtutes in te solo complectens, tantùm suprà illos excedis, quantùm eximiâ laude es inferior, quià præstantior moderatione.

Oh te beatnm ; cum ita in te dotes animi excellant, ut sint etiam moderandæ! Famam verò dum fugis præstantissimi Principis, majorem invenis ; quià es : non videris. Moderanda tamen generosa ultrà modum beneficentia ; cum talia nobis det beneficia, quæ sint

læ-

læta tantum usquedum illa accipimus; accepta verùm ità anteveniant, ut pænè odium pro gratiâ amatissimo benefactori cogamur reddere: nam non solùm id verbis non possumus, sed neque reddendi desiderio. Gaudemus tamen, quod gratias Principi exolvimus, qui majus putat sibi esse pretium beneficii, istud magnum fecisse. Et magnum quidem fecisti; dum opes, uxores, liberos, vitam ipsam, cuncta perditorum hominum barbaro juri, iniquo marti subjecta, nobis, nobis inquam (& vix credimus) reddidisti.

Magnum sane opus: & pro magno ALEXANDRUM FALCONERIUM, clarum stemmate, potentem ingenio, fortem animo, corporis proceritate conspicuum: uno verbo; parem

one-

oneri virum elegisti. Sed tu fato quodam regiæ indolis tuæ, cum semper grandiora facias, quàm velis, illum parem negotiis elegisti: & cum parem dixeris, adeò crebuit in verbo, ut sola electione viri negotia superares. Rara felicitas Principum administros bonos facere, cum tales dicant: rara Ministrorum se optimos posse reddere, cum tantum sciant cui Principi inserviendum: & subditorum rarissima tales habere Principem, & Ministros; ut, si ex nobis sint qui habeant, renuncient libidinem imperandi, majori felicitate parendi; & se se ipsimet meliori tutelâ non posse regere fateantur.

Fatemur sane: & ut audias quædam de tuis Gestis (nam narrare omnia, quæ vix con-

concipi possunt, nobis fidem posterorum auferret) ut audias inquam præcamur. Unde *gratiarum actio*, quam nimis humilem, & imbecillem comparatione Gestorum, & Beneficii, nobis nunc est propositum tibi dicere; erit illustrior, erit validior: ac digna Principe, digna Populo continget Oratio, si tu illam tantum audiveris.

Jam gemebat Gens nostra; cum exhaustis patrimonij rebus, & parentum sanguine, sub avidissimo prædonum ferro, nihil ei remaneret, quam naturę suffragium in lacrhymis, & tanta vis suspirandi, ut damnare posset sui vitam ipsam, quæ per diem infelicem ei calamitates adaugebat. Nihil tamen plus illi metus, cum nihil

hil plus haberet perdendum. Et cum hoc ſolatium afferret extremum malum, ut ultro creſcere nequiret. Immo erat ſpei magnæ ultimum fatum momento expectare, poſtquam didicerat facilius mori, quam vivere.

Lugubria intereà miſerorum vota perabbundè expleverant ſceleſti homines: ſicariorum, exulum, graſſatorumque immanes turbæ catervatim irrumperant undequaque: & quicquid humanum genus habebat noxii, & indigni, hic ſeù inclementia ſyderis, ſeu Regionum infortunium totâ Italiâ pœnitus advocarat. Tremebat ipſamet tellus ſub tanto crimine: & ſi eoſdem patiebatur ſufferri, vel recuſavit indignans tam nefarios abſorbere, vel reliquit

sancto Principi majori pœnâ puniendos.

Ea sita est, ex Latij parte, ubi opportunitas loci finitimi Neapolitani Regni facinoribus faveret; & vicissim in utrumque Dominium lætali commercio pestis illa hominum, ut grassaretur, annueret. Nec minori forte pêssimæ êorum indolis, montium innaccessæ rupes, horrida sylvarum antra, desertæque maris plagis refugium accomodaverant. Nam parùm ipsis videbatur, pejorum hominum conditionem sceleribus superasse; ni, tentatis omnibus, quorum capax malignior natura, alia quæsivissent in Regionis situ ab occasione peccandi.

Sed ad quid desertæ plagæ? ad quid horrida antra? ad quid inaccessæ rupes? tandem hæc

ce-



cedunt. Habebant validiora munimina: quibus si æquiparare volumus, inania videmus & sudata per sæculum propugnacula. Erat desperatio vitæ; quam nihili exstimabant, nisi moriendo relinqueretur in arenâ. Eratque illis tam furibunda animositas, & arrogans audacia, ut, ni putassent nimium honorem concedere memoriæ Gigantum eos imitando, facinus ipsi tentassent in æthera, postquàm in terris jam crediderant sibi ingloriam evasisse facilitatem victoriæ.

Non hæc est immago timoris nostri: non odij studium: non doloris affectus: non, græco themate, dicendi ratio. Nam nos felices! si majora non patrassent mala, quàm quæ narramus. Et si majora reticemus,

ma-

malorum eſt cauſa, quorum adeo angit nobis adhuc animum priſtina afflictio, ut neget etiam levamen exprimendi! Vos vos adeſte viatores, adeſte agricolæ, adeſte cives: teſtes appellamus. Teſtium vero non indiget communis miſeria!

Ob hanc ipſamet etiam oratio noſtra ægrè procedit: cum, ut probetur fortis perduellium pertinacia, contra eoſdem non fas eſt, nos nos inermes advocare. Dicant expertæ ſatellitum, militumque cohortes, juſtitiæ adminiſtri. Audiamus: dicunt enim-oh peſſimum genus hominum! immò, oh monſtra! ſed & hoc nomen humanum; ſi, quin examinentur illorum actiones, miremur tantum aſpectus! incultâ comâ, rigidâ fron-

te,

te, truci ſupercilio, ſanguineis oculis, impudenti ore, livido vultû, oblongâ barbâ ad horrorem neglectâ, totoque geſtu ad ferociam compoſito; unde nos haud pudeat referre, quod ſemper vincere potuiſſent, cum ſolùm vidiſſent. Dum arma vero. . . Ah ſilete quæſo! nam fuere tam impii, ut etiam defunctorum, seù damnatorum nos terreat effigies expreſſa in verbis. Silete inquam, nec infandum nobis dolorem renovate, dum authores oſtenditis. Nimis credimus: & non tam vobis, quam noſtræ infelicitati; quià ſi illos robur veſtrum anteà ſubjeciſſet, nos non tam diù illi cruciaſſent. Nihil atamen in humanis rebus adeò miſerum, quod non aliquo modo proſit. Miſerias toleravimus,

quæ

quæ, quicquid imposterum nobis eveniet infortunij, facient suave, postquàm constantiam habuimus illas suferendi. Miserias quidem, quæ semper erunt exoptandæ, si sempèr similem huic ab adorabili Principe consolationem nobis meruerint.

Parce ideo, Sanctissime Pater, si consolatione, nobis olim tuis quęsitâ lachrymis, nunc gaudemus. Gaudes verùm èt tu; qui sic amas bonum nostrum, ut id nobis etiam sanguine curares; immò curas, dum puriori sanguinis chymo, lachrymis scilicet curas. Plus tibi gloriæ ob hoc unum in nostrâ libertate, quam ob mortem militibus; quià isti sanguinem per venas ob mercedem effuderunt: tu, ut operi mercedem, & pretium augeres, per ipsos oculos effudisti,

undè hoc interim prò nobis tantùm toto orbi ſplendidiora lumina adumbrarentur. Oh Princeps quidem optimè, Pontifex quidem maxime! Tu digniſſimus omnium ter-optimus, & ter-maximus prædicari. Plures antè te appellari voluerunt: tu tantùm, cum ter recuſaveris, meruiſti. Undè nemò impoſterum dici vellet; ne comparatione tui adulationis voces appareant. Vel majorem titulum, quam ter-optimi, quam ter-maximi quiſque ambiret; ſi appellari poſſet nomine tantùm Clementis XI., quod ultrà ſignificat, & quo glorioſius dici nequit.

Videbas enim ea mente, quâ non ſolum ampliſſimi tui Dominij Regiones, ſed omnium fidelium Regna percurris, viatores innumeros in itinere expau-

peratos pecuniâ, denudatos veste; illos miserè insepultos in viâ, illos jugulatos, illos ad truncum appensos, opibus avaritiam grassatorum, vitâ barbariem explevisse: aliosque peregrino pede ad quæstum sortis errare; vel primis cædem invidere, nè miserius ipsi perirent necessitate vivendi. Videbas bubulcos non hilari tibiâ amores nympharum canere; sed à rapacissimis viris sibi gregem illos in prato, illos in ovile surreptum næniâ pastorali complangere: nec eisdem ullum esse subsidium animi, quàm mutuâ commiseratione lętari. Videbas in agri lirâ otioso incumbentes rastro cultores, cum illis essent in opere abrepta usque ab aratris jumenta; quæ plus mugiebant sub gravi pondere latronis manuum, quam dum

glebas fatigato vomere proſcindebant. Videbas ſegetem plùs ſudore, quam imbre cultam; totamque in illâ ſpem familiæ reſecare, (ita inhumani quibus gladio pepercerant, fame indè occidebant!) Videbas barbarâ vindemia radere ſimul vites & ulmos; ac ſępe vinum illius, cujus anteà ſanguinem, bibere; undè fas eſſet miſeris matribus in æde à metu retentis corda præ dolore obdurata ad lachrymas provocare, ut haberent quo poſſent puellorum ſitim extinguere. Videbas domuum, & in Suburbijs, ſuppellectiles expillare; immo . . . ſatis, Pater Beatiſſime: nam quæ foris, videre, quæ autem domi patraverant, non potuiſti; aut quià fletus ab affectu motus tuis ſuſpendit oculis videndi officium;

aut

aut quià patrata scelera nimis erant obscæna, ut à sanctissimis oculis viderentur.

Nec nos illa tentamus referre: horret animus; mens fatiscit: & vix eadem nostro dignamus odio, non quòd honore fatendi. Crederemus pejora meruisse; si jam passa tibi exprimendo, auderemus Pontificis sanctimoniam temerare. Stupratas alloquamur sponsas: silent; & dilecti mariti fidem putant offendere solâ criminis cogitatione; in quo sanè plus ipsarum formæ venustas, quam modestia peccavit. Violatas interrogemus viduas: lugent; & irrigato defuncti conjugis thalamo, pœnitentiam agunt pulchriorem castitate. Pollutas affamur virgines: mærent, & postquam lilia lachrymis depurarunt, timent etiam rubore

dicendi maculare. Ob Perditorum flagitia! adeo enim sunt iniqua, ut erubescant conqueri qui patiuntur!

Stupra, cedes, rapinę, sanguis, incendia ubique: & si locus ullus probitati, hęc effugerat; ne, dum curaret alienam, propriam perderet innocentiam. Nos ipsi ėt in Patriâ eramus exules; nam cum istam impij colerent, nobis magis decorum videbatur, exules dici, quàm cives. Mala intereà ad excessum evaserant: & patientia nostra nequibat se extendere, ne, cum excederet, virtutis limites transiret.

Tu solus, Princeps clementissime, mala nobis levasti, cum in partem venires: immò & amabilia reddidisti, dum agnovimus non tam esse nostra,

quam

quàm tua. Nesciremus ideò illa abhorrere, postquam animum & sensus Principis occuparunt. Abhorremus tamen; non quia tanti nobis fuissent exitij, sed quia nos fecerunt causam doloris tui.

Anxius diù, noctùque prospiciebas saluti nostrę: & humanâ funditùs perscrutatâ prudentiâ, precibus, inde divinæ mentis oraculùm consùlebas. Laborabat hoc interim sub armis æstû sanguinis afflicta Europa: & prçsertim Italia servitio Martis exposita in pretium belli cedebat. Sęvum Hispanis Gallis, Germanisque diffidium: hisque potior penè cura de oppressione nostrâ, quam de eorum victoriâ. Quapropter totùm animum intendebas: ut, Princeps, tua jura servares: ut, Pater, Filio-

liorum amicitiam componeres: & ut, Pontifex, Fidem propugnares: cum armati Populi in Italiâ hoſpitarentur, quorum libido forſan (eorum invito Principe) non plus de Dominio, quàm de Religione certare.

Dum tot Principum itaque, totque Regum bella, fœdera: ac totius Orbis rerum molem in animo revolvebas, mirum fuit, quod ſimul & incolumitatem noſtram penſitares, quaſi preter nos aliud agendum non haberes. Non mirum vero, ſi tui introſpiciamus divinitatem ingenij, cujus eſt ingentia negotia prò ſolatijs accipere: & ſi tuum erga ſubditos amorem; quo ſic diligis, ut nos à te nos amare aprehendamus: & quo non tantùm noſtrum in nos amorem ſuperas, ſed & ipſamet ultrà illum deſideria.

Lau-

Laudamus ideò Martialis fatum ęvi; à quo didicimus melius Principem noſcere: & credimus obortas ad noſtram felicitatem tot imperii vices, tot armorum diſcrimina; nam cum Pontifex mentem in illis altiùs involutam ad noſtra faciliùs diſtraheret, evenìt nobis majori ſic beneficio geudere.

Legatos ad Reges: arma, Duces ad caſtra vi, & conſilio dimittebat; & dum belli, paciſque res communi omnium voto in diuturnis comitijs à Principe agitabantur, animum ipſe & ad noſtras calamitates ſimul advertens, hoc honore eaſdem ſit potuit delinire cum tantùm cogitaſſet. COMMISSARIUM ideò GENERALEM, eumque univerſi Dominij ſui nobis delegit; quaſi unica ſalus noſtra tanti eſſet mo-

menti, quòd universi populi consentirent. ALEXANDRUM FALCONERIUM: Egregium vitâ & famâ: & qui priùs, quàm venisset, & vidisset; nomine tantum vicisset.

Venit ergo: stipatus agmine armatorum; Cathaphractis Equitibus, Peditibus, ac Stationarijs; & ubi robur ipsorum invalesceret Urbanici, Limitanei, Collectijque suffecturi. Venit: & insigni admodum, amplissimoque authoratus Diplomate: per quod manû regiâ Tribunal suum procederet; more belli jus ageret; Arces, Oppida demoliretur; perduelles, ac sicarios dissiparet: quove Pontifex virum hunc adeò magnum fecit, cum agnoverit, ut nihil inter Principem & Commissarium diferret; nisi, quod is esset

ſet capax Imperij , & ille imperaſſet . Venit : ſed majori , quàm ab authoritate, ab indole privilegio : virili in ore facundiâ , à qua prius devicti milites , poſtea didiſcerent vincere : gravi conſilio , cujus regimine , pluſquam armorum vi rerum exitus ſuperaret ; & cui nil glorioſum erat gerendum , niſi quod dificile ſibi , cęteris impoſſibile videretur : generoſo animo, quo ſecunda ac adverſa juxtà cognoſceret ; ſi unquam ipſi adverſa evenère , cum eadem ſemper ſibi lęta reddidiſſet; & animo, quo nobis poſſet immaginem Principis Deo ſimilimi, ſibi imitandi , in geſtorum dignitate in majeſtate vultus exprimere.

Venit inquam : immò tu Princeps in illo veniſti ; & oh

 felix

felix adventus ! fortunatiſſima dies ! Dies, quâ jucundiorem nec ipſemet ſplendiſſimus ſol facere, nec noſtrum ſciet deſiderium expetere. Ob hoc unum tamen nobis infelix; quòd ſemper ſimilem huic exoptabimus, & nunquam obtinebimus. Celebrarunt Annales in Cæſarum monumentis luſtricos dies : celebrarunt præſertim èt majores noſtri apud antiquos Penates Auguſti-Cęſaris ſympatridis noſtri ſolemnes dies : ſed nos & nepotes, non Auguſti, qui fortuito natali Patriam illuſtravit; ſed Clementis, qui amore nobis illam reſtituit, impoſterum celebrabimus. Illâ etenim die nos cępimus; cępit Gens finitima reſpirare. Et ubi incuſſus pavor ſpem nobis in invictum hoſtem denegabat; fides à ſancto

Prin-

Principe, in inviĉtissimum etiam miracula promittebat. Et sanè ultrà humanum erat tentare, quod pauci auderent, plerique vellent, sed omnes potiùs paterentur!

Tabellas undique affigere; vulgare ediĉta; jura ponere; Prȩsides admonere; exploratores emittere; excubias, prȩsidia, stationesque construere; Copias ducere; Gregarios colligere; expeditiones inscribere; vallare arces; montium secessus, sylvarum aditus, maris litora prȩmunire: omnia, quȩ mens negotijs adulta vix diutino consilio disponere, manus tua velocior consilio, per ministrum, ò Principum optime, (& liceat) divina ope Imperatorum fortissime, citò valuit, citò adimplere.

Hȩc

Hæc itaque, ac talia componebas mirabili quadam agendi felicitate, quæ etsi non par tuæ regiæ mentis arbitrio ad imperium nato, cæterorum atamen vires excederet, nostrum omnium vota superaret: ac tam agili celeritate, tantoque ordine procedebas, ut (quod obsolet in implicatâ rerum serie) nil confusionis adesset, quàm quæ, dum celeritas ordinem, ordo celeritatem inter se se contenderent anteire, faciliùs negotium explicaret. Nos interea beneficio, priusquam haberemus, fruebamur; nam, cujusque animus, & sensus in tui gestorum admirationem omninò suspensi, obliviscebantur doloris sui. Nihilque, post tot mala, antiqui doloris supererat, quàm ejusdem penitentia. Et peni-

pęnitere nos sanè opportebat, quòd nimius dolor nobis usquedùm spei beneficium distulisset. Sed parce: inter tot ærumnas, tot jurgia, totque flagitia audaciam credidimus sperare quòd nec cupere poteramus. Ultra miraculum nobis videbatur: nec aberravit turbata mens, quià voto & lachrymis vix obtinuimus; nec earum suffragio à te obtinuimus, sed tuo. Tuo sane; nam quod supplex fiducia nostra nequivit, tua in nos clementia meruit beneficium: beneficium, quod & postquàm meritum semper crebuit; nam tam ampla haud esse poterat concessa à te nobis fiducia nostra, quòd longè amplior in elargiendo non esset clementia tua.

Magnum equidem opus! clementiâ vicisti, quæ armis alij

non

non poterant: arma tractasti, ut illam exerceres: & hoc mirum; quòd, dum severiorem justitiam ageres, eo magis clementiam comprobares. Ambo, & offensi & offensores; & castigati, quàm benefacti laudabant manum: alij, quià salutem, libertatem, vitam ipsam restitutam acceperant: alij, quià carceres, triremus, luctus, & funera putabant dulcia, cum non paria criminibus reputarent; vel quià crederent sortem esse ex judicio sancti Principis mori; ne, si ultrà viverent, atrocius fatum subirent. Et erant, nos vidimus, qui funes & secures oscularentur supplicij sui; eo quòd eis negarent posse ampliùs delinquere in Principem; in quem, uti in vivum Dei simulacrum, tam altus honor & reverentia,

ut tandem etiam impij , priusquam denuò offenderent, perirerent!

Nobis verùm adeò implet animum felicitas rerum , quòd, dum eidem vix credimus , ipsam , ut certiùs credamus , libido quædam nos mulcet continuò prędicare. Patriam itaque reparatam, fortunas incolumes; non arma , viros canimus : victoriam , non pugnam celebramus. Artes pugnandi , studia vincendi , strategemata non fas dicere : mens jucunda nunc nimis horret belli discrimina, dum quietis beneficio lętatur & gaudet. Haud possumus funestâ narratione partem perdere tantę felicitatis : timeremus denuò sub casu contingere salutem nostram, si nunc renovatâ memoriâ dissidij, illam in ambiguo poneremus.

mus. At quę fari nolumus, etsi vellemus, nequimus: hęc spem anteivit, pugnam victoria. Quę non humanum erat tentare divinitùs Princeps superavit: & cum vicisset illâ tantum cœlesti vi, quam Deus præsertim illi, ille Ministris impartitur; sanctiùs nobis erit, ac reverentiùs de actibus divini Principis credere semper, quàm scire.

Credimus sanè beneficio, quod, vindicatâ injuriâ, nunc experimur. Nonne fracta tandem obdurata perduellium pertinacia? Jam quiescit Respublica; nullâque in Principem discordia civium, quàm gloriosâ contentione parendi. Nonne evasa disertorum immanis turba? Jam viatoribus securi tramites; & placidior peregrino, quàm in strato, somnus in

in viâ. Nonne destructus avidissimus latronum conventus? Jam tutę ubique res; nullâque meliori custodiuntur cautione, quàm publica securaritate. Nonne dissipata truculenta sicariorum acies? Jàm uxoribus mariti, parentes liberis gaudent; & cognato simul cum sanguine gratias agunt de vita cui restituerat. Nonne corruit proflata rebellio? Jam inter utriusque Dominij confinia liberum amicumque Populorum commercium; & aboletâ conjurationis Magnatum Regni infami Tabulâ à Sapientissimo Pro-Rege (qui, teste Oratore nostro, teste Orbis universi famâ, ob eximias regiasque virtutes, & suprà cęteras, prudentiam ac religionem; voce Populi, voce Procerum; an à Deo, an à Rege

da-

datus, nefcij; *Pater* tamen *Patriæ, Patriæ Reſtitutor*, dicitut & prædicatur) & abóletâ, inquam, conjurationis infami Tabulâ, evaſit ab his Regionibus nefaria ſocietas: ac tam alta quies in hominum vultu, in agris, in ędibus, undique apparuit; quòd ipſamet ſaxa vim afferrent naturę, ut celebrarent, ni quietis officium eſſet, ſilere.

Non ſilemus nos atamen: profluunt ex ſe ſe grati ſenſus ėt invito ore; quia cor nimis anguſtum haud patitur retinere. Immò in tam amplâ lætitiâ unicus męror ſupereſt: inepta facultas exprimendi. Et ſilebimus nos, quę de Principe noſtro in nos egregiè peracta ęternus honor annalium celebrabit? *Montem-Fortinum*, *Concham*, *Supynum*, *Hardæam*, *Vallem-Montonis*,

tonis; *Segnium*, totque innumera perditorum receptacula, munitè à naturâ ad delusionem artis constructa, depuravit. Sat enim esset, etsi majora non egisset! Loca sub infausto condita sydere: ubi omnes homines quodam fato nascuntur, ut peccent culpâ potiùs originis, quam suâ: adeo ut nemo antehac agnosceretur ut civis qui probus esset.

Puduit eos tandem, Pontifex Maxime, parere Principi, cujus imperium nunquam meruissent: & mutati post seculum mores, posse influere in homines sydera, sed non cogere; & sub optimo Principe malos subditos non facilè vivere comprobarunt.

Pendebant ex illis Oppidis Regionum nostrarum infortunia, finiti-

finitimique Regni dissidium, cum illic pejorum hominum essent refugia; & seditiosorum conjurata comitia ad stipendium calata inscriberentur. Quapropter quantę esset molis & momenti hos nefarios Conventus dissipare, satis superque testatur opera, quam huic negotio dedere ille MAGNUS PRO - REX JOH. ÆMANUEL Dux ÆSCALONÆ; & JOH. FRANCISCUS Dux HUZEDÆ apud te Catholici Regis Orator amplissimus; Viri ambo consultissimi: pares unius regij PACHECORUM sanguinis claritate: pares mentis & animi magnitudine: & qui non distinguntur, quàm ęmulatione sapientię.

Hęcque in illis meliùs comprobatur, dum REGIS ministero funguntur, *qui sapientissimus lau-*

laudatur, quià bene elègit. Laudatur atamen, te jam aperte patet, Clemens Beatissime, laudatur inquam Philippus Rex *èt ob eximiam pietatem, ac religionem: quâ, si à prædecessoribus Hispaniarum Regibus non accepisset cognomen* Catholici, *is à te facilè meruisset. Splendet hoc potissimum Dei munus in regia indole honesti vultus; quo non solùm innumeris tot Regnorum subditis Populis, sed cuique mortalium illum spectanti, habuit à naturâ posse imperare magis, quam velle. Adeo ut Hostes, qui formidabilem ejus armorum potentiam haud timent, timeant affabilis faciei majestatem videre, ne superentur. Prudentia, fortitudo, magnanimitas, & beneficentia, præcipuæ ejus animi dotes ommit-*

mittantur : solâque tantùm laude, in quâ omnes aliæ continentur, patiatur attolli: tibi scilicèt assimilari. Inter vos enim dari similitudo virtutum & vicissitudinum, eventù didicimus; cum èt te in Pontificem, & illum in Regem uno eodem tempore salutaverimus. Parce verùm, Pater Sancte, Oratori nostro Sorini, *à dicendi proposito evasisse; eumque* Regis *sibi* Benefactoris *attigisse laudes, quibus suam gratitudinem ostenderet, nostram Orationem illustraret, tuamque famam & gloriam adaugeret.* Non abberraverit tamen, si tibi placuerit: &, quòd placuerit, facile attendimus; quià dum amicum, filiumque tibi dilectissimum laudaverit Principem, tuam tuis laudibus non læserit hoc inte-

interim moderationem.

Heroica hæc quidem virtus. Et quæ tam propria tibi, ut ipsa, ni animum tuum timeret offendere, non ampliùs Moderatio dici vellet; sed, pulchriori agnomine, Clementina appellari. Ea est, quæ adeò alienum olim te fecit à cupidine Imperij, ut parum effugeret, quòd haùd dignus videreris; ni, major privato visus, dum privatus esses; & omnium consensu capax Imperij, eo quod illud recusaveras. Datur atamen grandior virtus, quæ te latet, Pontifex maxime. Illà enim carere non debes, qui cæteras possides. Eamdemque habebis, si modum invenies moderandi nimium moderationis affectum; & te laudari permittes.

Non autem à nobis : quibus ſatis eſt æquè poſſe laudare beneficium , quo vivimus ; non audere , quod ultra vires : te , & te benefactorem . Credimus verùm , quòd ſicuti plerique Principes hoc unum inſatiabiliter à ſcriptoribus petunt , proſperam ſui memoriam , ut ſuum cuique decus rependat poſteritas ; ità extare Principes aut geſtorum gloriâ , aut privilegio virtutum ad ſummum illuſtres, qui nimiâ moderatione ſignificent , ſcriptoribus non indigere . Dum ità loquimur , jam ſcis non de Clemente Principe loqui . Cum fortunâ Principum loquantur alij : nos tecum. Tecùm itaque , ALBANUM alloquimur , cum de incomparabili tuâ religione ; quâ , illius eſſe caput ; antequam eſſes , merebaris,

baris : de præclarâ pietate, ſed quæ non deſtruat juſtitiam : de juſtitiâ, ſed quæ humaniorem efficiat clementiam, nos non ad tui encomium, ſed ad aliorum exemplum, ad noſtrum documentum meminimus. Quamvis, idem ſit ALBANUM; quàm Principem loqui : nam, cum munera Principis adeptus fueris, nihil in vultu, habitûque moris mutatus, te potiùs factum à naturâ ad Imperium, quam electum à Patribus oſtendiſti.

Hæc eſt enim non tam mentis tuæ, quam ratio ſanguinis : quia ſi miremur HORATIUM Germanum fratrem ſapientiſſimum; hujuſque conjugem BELLARDINAM electiſſimam fæminam; Annibalis, Caroli, & Alexandri nepotum ſerietatem ac elegantiam : eorumque om-

nium incessus, genus vitæ, comitatem, mores, ingenia; illos sanè, quamvis non essent, è Domo Principis diceremus. Et fas erat eosdem aliquid regium sapere, uti decet prognatos ab illo excelso viro, alio ALBANÆ Stirpis Horatio, qui olim amplissimus almæ Urbis SENATOR locum principem adimplebat: Quique comprobavit, quod si ob temporum vicissitudines jam invaluit vetus & grande Dictum illud de Romanis Civibus, meritò mutari posse, & dici ob Senatoriæ dignitatis majestatem. *Quot Senatores, tot Reges.*

Quapropter in te alta indoles semper eminuit; nec privatus distinguebaris à Principe, nisi quod tunc uti privatus illas splendidissimas virtutes sciebas,

quas nunc uti Princeps exerces. Supremam ſcilicet, integramque conſilij ac imperandi rationem; quâ tui vaſtiſſimum Dominium dirigis; moderaris belle Regum; fœdera meditaris. Regalem munificentiam; cujus liberali ope ſtudia ſpiritum & ſanguine ſub te recipiunt; ac (uti eloquentiſſimus Orator Sergardi nuper in ædibus Capitolij facundiâ, quæ par loco foret, de te prædicavit) inter commune martis infortunium, eas alis artes & colis, quæ otij appellantur & pacis. Ac tandem paternam in ſubditos beneficentiam; inter quos non ſunt, & gloriamur, qui melius teſtari poſſint amorem Principis, quam nos obſequentiſſimæ *Latij*, *Sabinæ*, *Maritimæ*, *Campaniæque Gentes*, quæ quic-

quicquid habemus libertatis & boni ex illo fatemur esse : totque ultra accepisse beneficia, ut non sit æquale pretium èt vitam ipsam rependere. Tametsi id agere studeamus *Gratiarum Actione* ; quam si verbis non licuerit explicare, non causa fuerit animi nostri., sed magnitudinis beneficij. Parce ideò PONTIFEX OPTIME, OPTIMORUM MAXIME : & concede, esse quoddam novum gratias-agendi genus, si ex tuis beneficijs se enutrient qui tui nominis gloriam per secula celebrabunt ; & qui semper similem tibi Principem voto expetent, quamquam, Hercle! fas erit semper dissimilem tolerare. At tu CLEMENS tandiù vive, & feliciter regna, ut nos neque similem unqu am debeamus expetere.







